

prius ad ipsam deorum similitudinem pervenire nemo potest, quam, quae prava insederunt in natura humana, ea exstirpavit, mores emendavit et divinam illam scintillam, quae ex mundo coelesti in animos humanos infusa est, ab omni hujus terrae colluvie liberavit atque ad propriam naturam virtutemque revocavit. Quicumque in hoc studio ita versatur, ut non modo maculas nonnullas eluere, sed universam divinitatem assequi conetur, is pius appellandus est vel potius sanctus. Neque enim hoc loco praetermittendum est, Platonem in suis libris, ubi de pietate loquatur, vocabula *θεῖος, ἀνόσιος, ὁσιότης, ἀνοσιότης* multo saepius usurpare quam *εὐσεβής, ἀσεβής, εὐσέβεια, ἀσέβεια*; velut in eo dialogo, qui Euthyphro inscribitur, quem nos tractamus, adjectivis *θεῖος* vel *ἀνόσιος* nonagies ter, substantivis *ὁσιότης* vel *ἀνοσιότης* septies, adjectivis vero *εὐσεβής* vel *ἀσεβής* quinquies, substantivis *εὐσέβεια* vel *ἀσέβεια* ter, verbo *ἀσεβείν* semel usus est. Quid autem inter utrumque vocabulum intersit, facile apparet. *Εὐσεβής* enim is est, qui deos veneratione prosequitur et quia veretur, ne eorum aut invidiam aut iram sibi colligat, nulla re omissa, quae ad gratiam conciliandam valeat, sacrificiis offerendis et precibus fundendis et aliis actionibus piis factitandis debitos iis honores tribuit. *Θεῖος* vero quamquam eodem modo deos colit, tamen non in ipsis externis rebus piis acquiescit, sed id agit, ut deos sancte et pie veneretur totamque vitam recte et sentiendo et agendo ita degat, ut diis probetur. Huc accedit, ut *εὐσέβεια* magis omnia pietatis genera, quae Romani quoque statuunt, in deos, in parentes, in cognatos ac necessarios, in patriam complectatur, *ὁσιότης* vero prope ad unam referatur eam rationem conjunctionemque, quam homines habent et habere debent cum diis. Quapropter facile intelligitur, cur Plato illo potissimum vocabulo utatur, quippe quod plenius sit et gravius et sublimiorem ac puriorem pietatis speciem denotet. Nam ex Platonis sententia pii sunt ii, qui deos sancte venerantur ita, ut ad divinam eorum naturam proxime accedere studeant. Qui ita pii sunt, nec sancta officia violant, quia sanctis deorum praeceptis obediunt, nec in singulis quibusdam actionibus piis acquiescunt, quia, nisi quid pia sanctaque mente factum sit diis non placere exploratum habent, nec lucri cujuscunque causa deos colunt, quia gratum se potius pro plurimis beneficiis acceptis animum diis debere nec ad deorum similitudinem accedere posse sibi persuaserunt, nisi pie et sancte et religiose agant et in homines et in deos. Haec vera pietas fundamentum est, cui tota vita humana et recta et beata superstruitur ita, ut et ex cogitatis et ex dictis et ex factis exsplendescat. Ex hoc uno fonte omnes virtutes proficiscuntur, primum quas primarias Plato ponit, justitia, temperantia, sapientia, fortitudo, tum quae ex his oriuntur singulae eaeque maxime variae. Quantumvis enim multae et variae esse possint virtutes, prout variae vitae humanae rationes postulant, tamen omnes non diversam, sed unam eandemque habent naturam ita, ut uno virtutis nomine omnes liceat comprehendere, cf. Protag. 329 C. Hac pietate et singulorum animorum salus augetur et rerum publicarum incolumitas adjuvatur. *Τὸ θεῖον καλὸν, σοφὸν, ἀγαθὸν καὶ πᾶν ὃ τι τοιοῦτον. τούτοις δὴ τρέφεται τε καὶ αὖξεται μάλιστα γὰρ τὸ τῆς ψυχῆς πτέρωμα, αἰσχροῦ δὲ καὶ κακῆ καὶ τοῖς ἐναντίοις φθίνει τε καὶ ἀπόλλυται.* Phaedr. p. 246. Nec improbanda sunt hic, quae Euthyphro de pietate praedicat (p. 14 B): *ταῦτ' ἔστι τὰ θεῖα, καὶ σώζει τὰ τοιαῦτα τοὺς τε ἰδίους οἴκους καὶ τὰ κοινὰ τῶν πόλεων, τὰ δ' ἐναντία ἀσεβῆ, ἃ δὴ καὶ ἀνατρέπει ἅπαντα καὶ ἀπόλλυσιν.* Haec pietas quasi ministra deorum est in mundo regendo. Haec ita esse etiam Euthyphro intellexisset, si verae pietatis vim ac naturam perspexisset, cf. p. 13 D E — 14 A. Nam tribus exemplis medicorum, fabrorum navalium, architectorum ita instructus ab Socrate atque praeparatus erat, ut simile quid a diis effici hominibus ministrantibus respondere posset atque a medicis, qui valetudinem curarent, et a fabris navalibus, qui naves aedificarent, et ab architectis, qui aedificia extruerent, suis quosque ministris adjuvantibus. Eadem enim ratione dii hominibus ministris opus aliquod praeclarum faciunt. Quare Socrates ex Euthy-